



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,
Locis,|| Liber Vnvs.||**

Thyraeus, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1598

VD16 T 1247

Cap. XIV. An omnibus locis æquè molesti sint, an alijs magis, & vnde hoc
accidat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

& vicinorum populorum: & si non illis, quantus aliis horum exemplo metus iniectus? quot, horum pœna, perculsi, à fœda peccandi libidine reuocati, saniora sectati sunt consilia?

Quęcunque infestationes locorum, Dæmonum opera patratę sunt, si bene ratiocinabimur, hominum emolumenta in iisdem Deum (quo permittente, vel imperante factę sunt) Spectasse obscurum non est. id tum in *omnibus*, tum in *singulis* facile est deprehendere. 14.

In *omnibus* ostenditur, præter corpoream, esse quandam naturam Spiritualem: illam hominum saluti, & incolumitati esse infestissimam: vires illius in corpora, resque corporeas esse maximas: eiusdem nobis societatem, communionemq; peste & angue peius esse declinandam. 15.

In *singulis* alia emolumenta capere possumus. In illis, quarum in fodinis mineralibus author est, discere licet, eos, qui diuitias quærunt, incidere in laqueos Diaboli: in illa, fundi Hesperiam, magnam esse vim atque virtutem Reliquiarum: in alia domus infestę, à Theodoro Sicæorum Archimandrita liberatę, plurimum valere, contra Diabolicos insultus, res consecratas. Sic Deum esse ultorem scelerum, quibus charitatis fraternę, iustitię, & honestatis iura violantur, docent illę, quę propter Pausaniam, Neronem, atq; Ottonem excitatę fuerunt. Alię alias habent commoditates. Consule. i. caput de his omnibus. 16.

CAP. XIII.

Inter loca esse quedam alijs magis infesta: & id contingere, non ex locorum natura & conditione, sed pro Dei atque Spirituum voluntate.

Vamuis nulla propemodum loca sint, quę non infestantes admittant Spiritus; quędam tamen esse, vbi frequentius inueniantur, haud pauca sunt, quę probant: *quę vbi indicauerimus, vnde id accidat explicandum erit.* 1.

Igitur inter horrida magis, & Spirituum infestationibus *æposita* loca, primò sunt *deserta & inculta solitudines.* Hoc insinuare vide- 2.

52
 videtur Isaias Propheta, cap. 34. quando desertas Idumæorum ciuitates docet futuras domicilia Lamiarum, Dæmoniorum, onocentaurorum, & pilosorum. Idem sanctissimus Ioannes in sua Apocalypsi cap. 18. dum desertam Babylonem, habitationem vocat Dæmoniorum, vt ibidem explicat Ribera. Idem Euangelista Matthæus, cap. 4. cum Christum asserit in deserto Dæmonis insultus sustinuisse. Sed & suo exemplo hoc obseruare potuerunt olim Eremitæ incolæ: imprimis grandæuus Antonius: de cuius, quæ in deserto sustinuit, Spectris, sic B. Athanasius. *Dæmones* (inquit, in vita Antonij) *b. stiarum & serpentum feminas induentes, omnia, vbi vir Sanctus agebat, protinus repleuere phantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum: necnon & pardorum atque vrsorum. Et hæc singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat Leo, occidere volens. Taurus rugitu & cornibus minabatur. serpentes sibilo personabant; Luporum in petus inhiabat. pardus discolor aurore sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, voces horridæ, dirus auditus.* Hæc Athanasius. De Antonio etiam, per Eremum ad Paulum iter faciente, sic habet S. Hieronymus: *Conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauro nomen dedit. & paulò post inter saxosam conuallem, haud grandem homunculum videt ad uncis naribus, fronte cornibus asperata; cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Hic Antonio respondit: Mortalis ego sum, & vnus ex acrolis Eremitæ, quos vario delusa errore, gentilitas Faunos, Saryosq; & Incubos vocans, colit.* Hanc ob causam idem Hieronymus Eremum dicit *monstroforum animalium feracem.* Cyrillus verò in cap. 34. Isaiæ: *Spiritus mali, inquit, libenter dicuntur in desertis locis habitare.* Et Procopius, cap. 13. eiusdem, *Desertis, inquit, incuit isq; locis in se Dæmones gaudent.* Hinc quidam ipsorum, cum iam eijciendi essent ex hominibus, à S. Germano, Parisiensi Episcopo, rogabant, vt saltem per desertam solitudinem ipsis errare concedatur, si inter homines versari non liceret. ita Fortunatus Pictauro- rum Episcopus in vita S. Germani, cap. 30. Valet pro his locis exemplum Gordiani, spectatæ fidei hominis, cuius Alexander ab Alexandro meminit, lib. 2. Genialium dierum, cap. 9. Hic cum Aretiam, cum familiari suo proficisceretur. & ab itinere longè aberrassent, per difficilia & deuia loca, vbi nihil viderent culti, sed saltem nemora; vergenteque ad occasum sole, labore fessi confedissent; tandem hominis vocem procul audire visi sunt: quam secuti, trium hominum conspiciunt *Imagines*, immanes & formidabiles ultra humanum modum; nigris & dimissis tunicis, in veste lagubri funestaque, barba capilloque summisso, horribili facie. Ita

Alexan-

Alexander. Valet & Adriani Patricij Nouarchi, cuius Ioannes. Cu-
 ropalates meminit, in Compendio Historiarum fol. 43. hic cum
 ad liberandos Syracusanos cum exercitu à Constantinopolita-
 no Imp. mitteretur, & haud prospera navigatione vsus, in portu
 Peloponensi, qui Accipitris vocatur, hæreret; urbem intellexit
 captam esse à Dæmonibus loca deserti incolentibus. *Locus est,* inquit
 Ciropalates, in Peloponeso, qui vocatur Palus, propter syluam, quæ ibi est,
 densitatem, hoc sortitus cognomen. Hic Romanorum classis in statione e-
 rat. Quadam igitur nocte cum Dæmones illic habitantes, inter se colloque-
 rentur, audierunt Pastores heri captas & solo aquas Syracusas, diuulga-
 tas, ab alio in alium fama ad Adrianum quoque peruenit, qui accersitis
 pastoribus, diligenterq; interrogatis, comperit quæ audierat illorum verbis
 confirmata: cumq; ve- et suis auribus ipse ea percipere, per ipsos Dæmones
 perueniat, audiuit iam captas esse Syracusas. Hæc ibi.

Se. undò sunt lo. a humida & paludosa. Afferit hoc quidem Io-
 annes Bodinus; sed Dominus insinuat alicubi, apud Euangelistam
 Lucam, cap. 11. dum docet eiectos ab hominibus Spiritus, in locis
 in aquosis non inuenire requiem, & idcirco ad priores sedes reuerti:
 significans eosdem in lo. is aquosis requiem inuenire, atque ibi se-
 des suas fig. re. Hinc est, ut apud Aquilonares populos Spectra plu-
 ra inueniantur: & flammantes ignes, quæ sæpè vel Spectra sunt,
 vel non sine Spectris, secundùm aquas conspiciantur, & ad aquas,
 ut incautos homines suffocent, prouocent. Hinc in Cracouiensi
 tractu, infestus lacus ab omni piscatione incolas prohibuit; & an-
 no 1283. nouo Spectro factus est celebrior. Rem totam his verbis in
 sua Polonia refert Cromerus. Memoratur, inquit, in Cracouiensi tra-
 ctu Spectrum apparuisse. Lacum enim quendam per amplum infestatione
 Dæmonum piscationibus & vsibus hominum exemptum fuisse: Ad eum, hy-
 berna glacie concretum, vicinos cum sacerdotibus Vexilla, Cruces, & Reli-
 quias sacras, quibus vis Dæmonum propulsetur, ferentibus piscandi gratia
 conuenisse: immisso autem reti primo quidem tractu, contendentes pesca-
 toribus tres pisciculos; altero nihil nisi ret: conuolutum; tertio denique
 monstrum horrendum: primo capite, & in speciem ignis ardentibus oculis
 extractum esse: terris autem & disffugientibus cunctis, Spectrum illud sub-
 glaciem se submersisse, ac toto lacu discursans, terribilem strepitum & soni-
 tum edidisse, afflatusq; ab eo nonnullos homines sæda vlcera retulisse. Hæc
 Cromerus lib. 9. de Rebus Polonorum, circa finem: fol. 169.
 Rursus palustris locus est decem circiter passuum millibus ab O-
 depe, quod prædium est neui Episcopatus Vendæ, in Liuania.
 Est enim hic lacus, (teste Michaeli ab Isselt, circa annum 1535.)

Commentariorum Rerum in orbegestaram) qui à Dæmonio sic infestabatur; vt nisi singulis annis sanguis infantium in eum mitteretur, vltra modum affligeret vicinos, & plurima damna accolis circumquaque inferret.

Tertiò sunt *specus supterranea*, præsertim vbi metalla, & alia vsibus hominum necessaria effodiuntur. Vix aliquam inuenias, quæ non Spectrorum nomine sit infamis. Pro horum confirmatione, exemplorum gratia, produximus superius cap. 1. illam *Anbergicam*, quæ Corona rosacea dicta est: & aliam *Georgianam*, cuius Georgius Agricola meminit, libro de Animantibus subterraneis. Nunc aliã adiungimus ex supra dicto Cromero. Is ita loquitur. *In saluis Bochnensibus exaudiuntur nonnunquam canum, gallorum, & aliorum animalium assimilata voces in profundissimis Specubus: idque mali & incommodi alicuius imminentis portentum vulgo habetur.* Cromerus libro priore Poloniæ suæ fol. 485. Refert quoque Georgius presbyter, in vita Magistri sui, Theodori Archimandritæ, apud Suriũ Tom. 2. fol. 741 quod cum Gratianopolis, in Gordiana regione, incolæ pro ponte construendo, in lapidibus eruendis occuparentur, magna vis Dæmonum eruperit: quorum pars viros & fœminas illius loci inuaserit, & torserit; pars cæteris graues morbos attulerit: complures occuparint vias, & transeuntibus atque bestiis molestiam peperint. Idem Georgius ibidem refert, quod sequitur. *Ex Ponti oppido Heraclea, inquit, Theodorus, cognomento Latzeas, diues, & claro loco natus ad piũ virum (Theodorum) accessit, & ad pedes eius prostratus, lachrymans supplicabat; vt ad urbem suam veniret, & in sacra ad sanctissimam Dei genitricis pro domesticorum suorum salute precaretur. Cum enim domi suæ foderetur, ex ea fossione contigit, vt magna Spirituum immundorum multitudo, cum familiares suos, tum alios ciues inuaderet, & acerba vexaret. Beatus igitur vir, cum in ad illa sanctissimam Dei genitricis precari cuperet, abiit cum illo, & desiderio suo satisfecit, familiamque præclarĩ viri & reliquos ab immundis Spiritibus, precibus & supplicationibus liberauit.* Ita Georgius. Sic collis quidam fuit in oppido Sandi, in quo plurima Dæmonia fuerunt, eodem Georgio teste. Cum enim Eutolmius quidam aream suam cuperet reddere ampliorem, & collis iam dicta lapidem amoueret; immundi mox Spiritus egredientes, inquit Georgius, greges armenta atque homines inuadebant & excruciant, nec finem malorũ fecerunt donec adueniens Archimandrita Theodorus omnes rursus in locum vade egressi erant, compulit.

Qua

Quartò sunt *vasta & ampla arces atque adificia*. Nouimus quaf-
dam ab hominibus desertas esse, quod Spectris essent horridæ. f.
Nouimus alias, in quibus plurimas molestias indigenæ sustinent;
nunc intempesta nocte, nunc etiam clara luce. Superius quoque
Scoti & illius facta est mentio, quæ à gemitu & eiulatu Spiri-
tuum nomen accepit, & Mons dolorosus dicitur. Caput 1.
Disput. huius.

Quintò sunt *locamemorabili, & crudelicæde clara*. Hoc no- 6.
mine *Marathonius campus*, vbi aliquot millia ex Darij exercitu
cecidere, nocturnis Spectris horridus est. Hoc *campus VVormatiensis*,
cuius Spectra longiori oratione Tritemius profecutus est. Referri huc
debet *Kerope* in *Liuania castrum*, vnum ex iis, quæ *Moschus* Polono
cessit; in quo multi Germani à *Moschouitis* occisi sunt. Castrum hoc,
& tota vicinia, illusionibus diabolicis aded fuerunt, nostro adhuc
tempore, infesta, vt *Dæmones* palam, & in conspectu omnium,
cùm luna nocte splenderet, in equis sedentes, effulis habentis,
circum mœnia, tanto cùm impetu, currebant, vt equi defatigati,
sub onere corruerent, & subinde morerentur. Interdum quoque
more *Moschorum* vestiti, integros currus onustos frumento in
humeros suos ferentes, omnibus aspicientibus, in vicinum lacum
villæ cuiusdam, arci proximum, coniciebant. Hæc *Michael* ab
Isselt circa annum, 1585. suæ Historiæ. Referri etiam huc potest
incredibile, vt *Bonfinius* rerum *Vngaricarum*, Decad. 3. lib. 3.
vocat, miraculum, quod in *Valachia* quodam campo obseruatum
est, post cruentam admodum pugnam inter *Dæan* & *Merchen*
eodem genere natos, & de *Valachia* dominatu contententes
Principes. Miraculum *Bonfinij* verbis ascribimus. *Secundò*,
inquit, tertio anno, cùm plerique in eum campum descendissent,
vbi *patratam stragem* fuisse memorat, editissimumque cadauerum
aceruum spectarent; emissam inter ossa vocem subinde exaudiuere,
tristissima *Iesu Christi* *Sauatoris*, & *Diæ Mariæ* virginis nam
resonantem. Admiratio simul & pauor hos incesit. Cùm ad verba
subticuissent, eadem paulò post, quasi difficulter expressa;
accepere. Dum vocem inter ossa disquerent, portentis
desiderio succensi, loquax inter cadauera caput inueniunt:
quod vbi homines sibi adesse agnouit. Quid tam, inquit,
stupidi hæc statis viri? *Christianus* ego sum, & magna *Matri* *D. Ma-*

*Sup
abiquitas
et
impietas!*

DE LOCIS INFESTIS

76
ria semper addictus, inexpiatus, inconfessus, in hoc bello occubui. Magna Dea, in cuius tutela vitam dedi, me aeterni supplicij reum esse non patitur. Hic me adhuc lingua compotem seruauit, ut & delicta fateri, & animam sacris ritè Apostolicè lustrare queam: proinde sacerdotem, qui Confessionem exaudiat, & me expiatum reddat accersite, quaso. Rogatus, quo tantum à Dea beneficij promerisset, respondit: peculiare fuit id in vita fuisse numen, serena quotannis in vita sua festa reuerendissimè celebrasse, religiosissimèq; ieiunijs, ex pane duntaxat & aqua decorasse. Iarris fuisse quàm studiosissimè operatum, illi tantum numini cunctas animi vires dedicasse. Accersito è pago proximo sacerdote, Confessionem ritè transiegit, & impetrata errorum omnium remissione, accepta, nouissima lustratione id defuncti caput repente conticuit perpetuo, quicquid Hec Bonifinius.

7. Dicitis locis sextò adiungimus illa, vbi innocenti sanguinis effusi versantur rei, & crudeles homicida. Quomodo enim quaedam loca ob memorabiles cedes clara, spectris infesta sunt; ita quosdam crudeles homicidas Manes sequuntur, & infestant; omniaque, quibus ipsi degunt, reddunt horrida loca. Docent hoc cum alii, tum sæpius repetiti Imperatores, Nero, Otto, Pausanias Cap. 1. Disput. præsentis.

8. Adiciamus septimò illa; vbi homines quidam grauius Deum offenderunt, pœnasq; quas iam vita defuncti sustinent, meruerunt. Hic nobis seruiunt Thermæ B. Gregorii, in quibus Felix Portuensis Episcopus à presbytero quodam cognouit, idcirco ibidem illius loci dominum, post mortem, obuersari, & pœnas sustinere; quod ibidem diuinam in se iram, viuens adhuc prouocasset. Gregorius lib. 4. Dialog cap 40.

9. Sunt præterea, præcæteris, infesta loca vbi sedes suas habent, quæ in grauib; versantur peccatis: iis maximè, quibus pietatis, iustitiæ, mutæ charitatis, & honestatis iura enormiter violantur. His enim proximos esse spiritus; cum alia probant, tum exemplum illustre, quod verbis Alexandri ab Alexandro, nos cap. 30. Disputationis de Dæmoniis, retulimus. Ad hæc loca, illa pertinent, vbi vel Gentilium vigent superstitiones, vel exulat vera religio. Quàm molesti Idolorum cultoribus fuerunt Dæmones? Et in Luconia, quid nõ passi à si de Apostetæ? Vide cap. 1. Thei 28 & 29.

10. Denique illa sunt loca, in quibus insignis sanctimonia, & pietatis homines commemorantur. Hoc, quamuis recentibus exemplis docere difficilius sit, præteriorum tamen sæculorum historiæ tot exempla demonstrant, vt propemodum sit oleum & operam perdere
ijs recen.

lis recensendis immorari. Refert Cassianus, Collatione 7. c. 23. in ipsis Cœnobiiis, vbi olim degebant Monachi, vel octo, vel decem; ita Dæmones grassatos fuisse, & frequentes: *vt non auderent omnes pariter noctibus obdormire: sed vicissim aliis degustantibus somnum, alios vigiliis celebrantes, psalmis & orationibus & lectionibus inhæsisse.* Maximas quoque à Dæmonibus molestias sustinuisse Monachos, vbi B. Gregorius Oratorium suum habuit, in eius vita docet Diaconus, cap. 89. Sic in monte Serrato, in ludiis dæmonis (qui eremitam simulabat) tentatum atque superatum, & grauissimis se criminibus, fornicationis atque homicidij obtrinxisse virum alioquin sanctum, solitudinis cultorem, Ioannem Garlinum referunt Annales Hispaniæ, & ex his Patritius quidam Augustanus germanico idioma te. impressus Monachii Anno 1588. Legendus Palladius, qui plurimum pro hoc argumento exempla suppeditat.

Et hætenus quidem prius huius Capitis membrum explicatum sit Sed *Vnde accidit, vt his potius, quàm illis locis Spiritus sint molesti?* Hoc secundo loco inquirendum est. Ego verò sic existimo, huius rationem, vel ex *naturaliorum*, vel ex *Dei Spirituumq; voluntate* petendam esse. Neque enim tertium video, in quod huius causam conicere debeamus.

Porrò *naturali* nullius illa est, vt hos infestantes Spiritus ad se rapiat atque deposcat. Quod dicimus, facillè intelliget, qui quæ Spirituum conditio sit; quæque ratio locorum, probè perspectum habuerit. Conditio Spirituum est, vt omnis corporeæ concretionis sint expertes: locorum ratio postulat, vt corporum sint fines; corporumq; quorum fines sunt, afficiantur qualitatibus. Cùm igitur inter spiritum, corpusque distantia maxima sit; non est, quòd locum per se Spiritus aliquos ad se rapere existimemus.

Magna est inter Spiritus & corpora, si locorum attendamus conditiones, differentia. Corpora quædam non omnibus, sed certis, definitisq; locis producuntur: & quædam non omnibus, sed certis locis conseruantur & promouentur: Spiritibus, vt perinde est omnibus locis produci, ita & omnibus esse, & omnibus conseruari. Nec malè, quoniam corpora à cælestium orbium pendent influxu & motu, circumstantiumq; corporum proprietatibus & affectionibus, Spiritus ab his subsidij habent nihil.

Quæ temporum, eadem est locorum, apud Spiritus, conditio. Valent illa in corpora, quoniam, vt quidam loquitur, *tempus facit omnia senescere*; & teste poeta; *tacitisq; senescimus annis*: at nihil valent in Spiritus. Hi nec senescunt tempore, nec tempore languescunt.

Hic opus huiusmodi Tan

Tam sunt hodie vegeti, postquam aliquot annorum millibus fuerunt; quam fuerunt primo, quo creati sunt, die. Nihil igitur mirum, si nec quicquam in ipsos possint loca.

15. Ex voluntate igitur, vel Dei, vel Spirituum locorum pendet infestatio? Omnino pendet. Quia enim Spiritus quibusdam locis volunt esse molesti; & quia Deus quædam loca Spiritibus vult esse horrida & infesta; idcirco infestantur; idcirco sunt horrida.

CAP. XV.

Quæ cause, ob quas Spiritus, maxime Diabolici, hæc magis, quam alia, loca infestent.

1. Hoc Capite, non cur loca; sed cur certa loca, id est. hæc potius, quam illa, Spectris infesta sint, inquirimus. Prius enim illud, superius, Capite sexto, declaratum; posterius hoc, non sine fructu; ut credimus, demonstrandum.
2. Et quamvis quid singulis Spiritibus infestantibus propositum sit, inquirendum esset: modus tamen orationi imponendus est; & solum rationes, cur Demones his potius, quam illis, locis infesti sint assignandæ. Etenim, quid humanis Spiritibus propositum sit; & quas ob causas Deus has infestationes permittat, aut præcipiat; quæ Capite sexto dicta sunt, satis superque demonstrant.
3. Quid igitur Demombus singulis locis propositum est? Respondeo in omnibus quidem terrarum, quem hominibus incutere affectant: in quibusdam præterea nocumentum, quod ipsi cupiunt, afferre (qualecumque tandem illud sit; siue in corpore, siue in anima, siue in bonis fortunæ) in aliquibus etiam horum nihil moluntur, sed sua tantum seruire videntur libidini: Sed singula loca, quorum Capite superiori meminimus, perlustremus.
4. In desertis igitur, & ab hominum consuetudine alienis, de quibus Theoz Capitis superioris, suæ libidini seruiunt, dum infesti sunt & tumultus excitant. Ne enim nihil agere videantur, dum hæc degunt; artis suæ & potestatis, histerriculamentis, aliquot dant indicia. Fortè etiam hic (quod probabile credimus) brutis animantibus hæc locis d. gentibus tanquam Dei, hostis ipsorum hominumq; bonis incommodant. Docet hoc B Hieronymus in vita S. Hilartonis. Quid quod & hominibus, his locis, obesse studeant,